KEY

LATIN ELEGIAC VERSE

C. G. GEPP

RIVINGTONS

KEY

TO

PROGRESSIVE EXERCISES IN

LATIN ELEGIAC VERSE

BY

C. G. GEPP, B.A.

LATE JUNIOR STUDENT OF CHRIST CHURCH, OXFORD, AND ASSISTANT
MASTER AT TONBRIDGE SCHOOL.

RIVINGTONS

London, Oxford, and Cambridge

1871

RIVINGTONS

London . . . . *Waterloo Place.*
Oxford . . . . *High Street.*
Cambridge . . . . *Trinity Street.*

PART I.

EXERCISE I.—III.

En iterum Zephyrus jucundos spirat odores,
  Vestituque novo splendida silva viret :
Nullaque non vernâ volucris dulcedine fervet,
  Et primum teneri carmen amoris init.
Huc cantatrices teneræ mihi flectite cursum,
  Quò medii solis summovet umbra jubar :
Hìc mea suppeditant gratas fruticeta latebras,
  Tectaque dat nostrum non violanda nemus.

Hìc nullo cohibente licet volitare per umbras ;
  Hìc sibi muscosos texite quæque lares :
Quo libet errantes hìc cantu fallite lucem :
  Hìc grata est vobis nocte petenda quies.
Quò vocat egelidâ rivus pellucidus undâ,
  Et tenui stillans fonte pererrat agros,
Hìc relevate sitim, mersisque adspergine plumis,
  Ite per umbrosum { læta caterva / quò libet ire } nemus.

Has celebrat latebras vocali gutture turdus,
  Securumque ciet galbula tuta melos :
Nec sibi viscosos laqueos formidat acanthis,
{ Ne subeat tardas aurea pluma moras. }
{ Aurea ne subitas sentiat ala moras. }

Desere longinquos, tristis Philomela, recessus,
  Celat ubi nidum silva remota tuum :
Hìc tibi flere licet, sedes hìc inter amicas
  Arguto querulos ore ciere modos.

EXERCISE IV.

Non saliunt nobis tumida inter retia pisces ;
  Æthera nox pluviis nubibus atra tegit :
Nunc validis tempus, comites, incumbere remis,
  Litora nam refluo deserit unda salo.
Mœsta cohors secti dat flammis munera ligni,
  Quæque reversuro non malè parca viro.
Parva quidem cymba est, tempestas horrida sævit,
  Irritaque allisas vox cadit inter aquas :
Iratique maris minitantia murmura gliscunt,
  Quæque fremunt tristi stridula flabra sono :
Sed pelagi frustra, frustra furit ira procellæ ;
  Excipiet reduces nos pia flamma foci :
Eja agite, O comites, en latè sideris instar
  Lux micat e summâ turre, docetque viam.
Jamque propinquantes rapido per litora cursu
  Cernimus huc illuc ire redire faces :
Sera prius mediæ quàm noctis fugerit hora
  Fas erit irriso ducere pocla Noto.

EXERCISE V.—VIII.

Ore favete omnes, genialis turba, puellæ ;
  Nulla superba viri facta nec arma cano :
Non nisi blandisono cantu tristique querelâ
  Ploramus fatum, *Laodamia,* tuum.
Huc agite, O socii fortes, religate carinam :
  Tuque, prècor, paullum siste, puella, viam.

Siste viam; nostrâque hodie sub turre moreris;
    Neve procelloso carbasa crede freto.

Lactea jam fluctus prætexit spuma nigrantes;
{ Nulla vacat mergis insula, nulla silex.
{ Litora jam fulicæ notaque saxa petunt.
Audiit æquorei piscator murmura monstri,
    Murmura disjectam vaticinata ratem:
Vidit et hesterno præsagus vespere vates
    Fœmineos artus veste madente tegi.
Candida quin nostrâ virgo sub turre moraris?
    Cur hodie tentas per freta nigra viam?

Imus, ait, non quòd vicini principis hæres
    Roslineâ festos ducat in arce choros;
Sola sed ah! solâ castelli mater in aulâ,
    Haud humili mater sanguine creta, sedet.
Quid si noster amor, quà multâ stringitur hastâ
    Annulus, exstiterit conspiciendus eques?
Scilicet opprobriis pater insectabitur uvam,
    Ni dederit natæ pocula plena manus.

Supra Roslineas arces, per tristia noctis
    Tempora, non sueto lumine flamma micat.
Luce minus latâ flagrant vigilantibus ignes,
    Nec tam purpureo Luna nitore rubet.
Roslineæ rupes turritaque saxa coruscant,
    Per vallem it rutilum, per nemus omne, jubar:
Adversas querceta vident distantia flammas,
    Ignibus adversis concava saxa nitent.
[Credere erat templum flammis ardere superbum,
    Quà gentis procerum condita membra jacent.
Nullius ossa latent arcâ: sed ferrea cuique
    Feralis præstant tegminis arma vicem.]

EXERCISE IX. X.

Sis mihi, Christe, comes: jam vesperis ingruit hora;
  Densantur tenebræ: sis mihi, Christe, comes.
Ut socii pariter, pariter solatia desint,
  Sis comes, atque inopi tu mihi perfer opem.
Finis adest vitæ: retro brevis effluit ætas:
  Languescunt mundi gaudia, transit honos.
Nil non deciduum, nil non mutabile cerno:
  Qui non mutaris, sis mihi, Christe, comes.

Quotquot eunt soles, orbus tua numina posco:
  Rebus in extremis tu mihi sola salus.
Tu solus rerum dux et tutela mearum,
  Lucida seu prodit, seu tenebrosa, dies.
Te præsente minax nil me tremefecerit hostis;
  Fletus amaritie, pondere cura, caret.
Vulnera nunc ubi sunt, ubi nunc victoria Mortis?
  Quâlibet in pugnâ te duce victor ero.
Crux tua sit præsens mihi quum claudentur ocelli,
  Claraque per tenebras monstret "ad astra viam."
Orta dies cœlo est; terrestria nubila cedunt;
  Vivo, seu morior, sis mihi, Christe, comes.

EXERCISE XI.—XIII.

Rumpe, Melisse, moras: quo non pernicior alter
  Cervinâ solitus pelle ligare pedem:
Rumpe, Melisse, moras: vires non addidit unquam
  Causa fugæ nervis tam gravis ante tuis.
Pectore tu forti fac scandas ardua montis;
  Corripe, ut a summo vertice rivus, iter:
Perque parum tutas agili pede curre paludes,
  Et loca fallaci vix adeunda luto.

I supera saltu torrentem more capellæ;
Acer uti catulus septa rubosque subi.
Alta tibi surgit rupes, hiat ecce barathrum:
Præcipitem posito carpe timore viam.
Labra sitis torret, torret sitis arida frontem;
Tu tamen ad fontem sistere parce gradum.
Martis abi, fatique simul, formidinis idem.
Nuntius, et celeri perge, Melisse, fugâ.
Non tibi nunc cura est ictæ vestigia cervæ
Quærere, non nympham per nemora alta sequi:
Non socios hodiè currendo vincere tentas,
Non juga certatim per bene nota fugis:
Alea inest et mors et virtus bellica cursu.
Longa via est, propera: rumpe, Melisse, moras.

Evolat ut primum fatalis tessera pugnæ,
Rustica per pagos surgit in arma cohors:
Robustique viri cöeunt simul ordine longo,
Quot fusci saltus, quot cava vallis alit.
Nuntius interea cursum non tardat anhelum;
Ostendit signum; sint ubi castra docet.
Urget iter velox, et gressu provocat auras:
Pone subit strepitus subsequiturque Pavor.

EXERCISE XIV.—XVI.

Jam vernos Natura videt rediisse colores,
Terraque vestitu ridet amicta novo:
Frondosasque comas agitat levis aura Favonî,
Quà matutino ros lavat imbre nemus.
At mihi nequidquam spirat narcissus odores,
Et viola e latebris exserit ora suis:
Per nemora et valles cum turdo galbula cantat:
Nil profecturum fundit uterque melos.

Voce suos hortatur equos securus arator,
{ Sedulus et lætum consitor urget opus : }
{ It sator et lætum sedulus urget opus : }
Fessus ego nimiam duco per somnia vitam,
Somnia non ullo decutienda die.
Hinc fulicæ ludunt per summas fluminis undas,
Hinc calamos inter gens anatina crepat;
{ Labitur insultans sublimi vertice cygnus :
{ Tranat aquas tumido sublimis vertice cygnus :
Sollicito vexor pectore solus ego.

Jam redit omne pecus : clauduntur ovilia circum :
Sibila pastoris saltus acuta refert.
Dum rapior cæco per montis devia cursu,
Ille mihi rores obvius inter adit.
Quumque sub incertæ confinia noctis alauda
Surgit, ubi multâ bellide canet humus;
[Inde ubi gramineo vigil exit alauda cubili,
Primaque dat lucem nec tamen orta dies,]
Dum canit illa supra librata trementibus alis,
Vix pede furtivo deferor umbra domum.
At tu, bruma, veni diro fremebunda tumultu,
Et foliis nudum concute sæva nemus :
Sic tristem tristi tanges dulcedine mentem,
Luctibus ut tellus adgemet ipsa meis.

EXERCISE XVII.

Suave mihi ridet vallis declive paternæ,
Quà posuit nidos blanda columba suos :
Quæ geminat tristes juxta mea limina questus,
Fallit et agricolæ prætereuntis iter.
Interea saliens per densa arbusta *sciurus*
Securo gaudet rodere dente nuces.

EXERCISE XVIII. XIX.

At comites dormire jubent superosque precari :
    At mens delirat torta furore mihi.
Montanas inter nequeo dormire salebras ;
    Montanas nescit lingua referre preces.
Ponite me placido quà labitur *Allia* cursu,
    Aut ubi natales *Deva* pererrat agros,
Quàm dulces carpam somnos, quàm rite precabor
    Claudat ut hibernos hora suprema dies !

Sic " nodo " (memini) dixerunt " collige crines,
    " Templa dei fausto mox initura pede ;
" Lux Hymenæa tibi surgit ; quin obvia tendis
    " Quò dudum expectat te bene fidus amans ?"—
At malè lux pereat quæ fuso sanguine risus
    Dedocuit, sævis fraudibus usa, meos :
Nam simul ac ficti fugerunt gaudia visi,
    Nil nisi singultus, nil nisi plangor erat.

EXERCISE XX. XXI.

Tempus adest : linquis patriam, carissima rerum ;
    Ecce subit portum mox abitura ratis.
Amplexune tuo divulsus vivere possum ?
    Solvimur ; et comitem me tibi fata negant.
Quæ tumet unda tamen, quæ se procul insula tollit,
    Voce salutanda est utraque sæpe meâ :—
" Illâ parte Vale nos diximus ore supremo ;
    Illic extremi delituere sinus."

Sæpe ego per solam spatiabor solus arenam
    Mergus ubi volitans inde vel inde gemit :

Sæpe per *alternos*[1] minitanti murmure fluctus
Hesperias repetent lumina fixa plagas;
Tuque O quo mea cunque, loquar, Galatea vagetur
Indorum felix terque quaterque nemus;
Dic mihi, secessus quum devia lustrat amœnos,
Num memor absentem respicit illa virum?

EXERCISE XXII. XXIII.

Lilia jam viridi florent in margine ripæ,
Primula jam pronis exserit ora jugis;
Trudere per valles sua germina cœpit acanthus,
Et spinus cultu lacticolore nitet.
Infimus upilio, peperit quem Scotica tellus,
{ Has per ruris opes quò libet ire potest. }
{ Huc inter flores quò libet ire potest. }
En ego, reginam quam Scotica terra vocabat,
Scilicet in duro carcere pressa moror.

At tu, nate, precor magis æquo sidere vivas,
Et melior veniat sors tua sorte meâ:
Quæque meos nunquam despexit luce malignâ
Aurea Pax annos rideat usque tuos.
Maternosque utinam longè Deus arceat hostes,
Aut doceat saltem non nocuisse tibi;
Tuque, mihi miseræ si quis bene fecerit olim,
Hunc memor ob matrem dilige, nate, tuam.

EXERCISE XXIV.

I (tibi genva vicem præstabunt nostra caballi),
Quò statua exornat Banburiense forum.
Femina, cui sonipes quo nix non purior, illìc
Tegmine regali conspicienda sedet.

[1] Propert. iii. 3. 7: Scilicet alternâ quoniam jactamur in undâ.

Æra pedum digitis bis quinque sonantia pendent;
   Sardonychum decorat copia utramque manum.
Sic ubicunque suos inflectet devia cursus,
   Non nisi jucundos audiet illa sonos.

EXERCISE XXV.—XXVII.

Frigida per patrios jam spirant flamina montes;
   Turribus annosis incubuere nives.
Quam dispar quondam tempus mihi junxit amantem,
   Quà nemus et virgis densa genista viret.
Sparserat incultos Æstas nitidissima flores,
   Betullasque inter dulce canebat avis:
At puerum longè rapuere in prœlia nostrum.
   Venit hiems terris, venit et illa mihi.

Omnia ridebant tum felicissima nobis;
   Omnia plus solito splendida fecit Amor.
Nil nisi triste fremens Boreas nunc pervenit aures;
   Nil quod prospiciam nix nisi fusa patet.
Fronde caret lucus: mœstæ siluere volucres:
   Decutiunt pennâ prætereunte nivem.
Nulla suos visa est mecum non edere questus:
   Hibernos pariter flemus adesse dies.

Grandine jam niveâ verrit juga inhospita nubes,
   Atque in præcipiti pinus opaca tremit:
Quique susurrabat tam leni murmure rivus
   Nunc tumidis imâ valle remugit aquis.
Sed non horror aquæ, ventis brumalibus auctus,
   Non Boreas fletus nunc jubet ire meos;
Nam mihi, dum liceat puerum vidisse receptum,
   Traxerit æstivum bruma vel atra decus.

EXERCISE XXVIII.

Præteriit pariter cum sole et odoribus æstas;
  Undique flos cecidit, deperiere rosæ.
Jam posuit Zephyrus, cessat genitabilis imber,
  Autumnus summos jam legit ipse dies:
Jam legit ipse dies summos, gelidusque recurrit,
  Brumaque frigidior frigidiorque venit.
Quotquot eunt soles, glacies audacior instat,
  Ultimaque amisso gemma rubore dolet.

EXERCISE XXIX.—XXXI.

Lenis eas inter saltus, Aftona, virentes;
  Lenis eas nostra rive canende lyrâ:
Nostra susurrantes dormit prope Tyndaris undas;
  Somnia tu dominæ rumpere parce meæ.
Siste tuos gemitus imâ sub valle, palumbes:
  Tu, merula, in densis mitte crepare rubis.
Desine tu viridi spectabilis, ardea, cristâ;
  Desine, neu dominæ somnia rumpe meæ.
[Tu viridi cristâ spectabilis, ardea, nympham
  Sopitam parcas voce ciere precor.]

Ut tibi vicini consurgunt undique colles,
  Rivus ubi liquidis plurimus errat aquis:
Devius huc, medium quum sol tenet æthera cursu,
  Limina Tyndaridis cum grege sæpe peto.
Dulce tibi valles, ripæ quàm dulce renident,
  Ornat ubi nullo caltha colente nemus.
Hìc quoties Vesper placidus roraverit agros,
  Betula nos umbrâ suaveolente tegit.

Ut tua crystallos imitantia flumina parvos
  Labuntur circum quos colit illa lares:

Dumque legit flores medias vaga nympha per undas,
Proluit ut niveos lympha proterva pedes.
Leniter i dulcis per agros, Aftona, virentes;
Leniter i nostra nobilitate lyrâ.
Nostra susurrantes dormit prope Tyndaris undas,
Somnia tu dominæ rumpere parce meæ.

EXERCISE XXXII. XXXIII.

Quid facient pueri? quis consolabitur illos
Linquet ubi patrios nostra Melissa lares?
Quot colimus vallem, sibi quis non corde dolores
Venturos metuit, quum subit illa dies?
Hinc petiit cursu montis juga summa Menalcas,
Nec pueri tristem spes levat ulla fugam.
Hinc petiit lectum, caput insanabile, Daphnis,
Dumque jacet querulo, "Mors," ait ore, "veni."
Nec minus ad templi fugit penetralia Damon,
Cœpit et insolitas edidicisse preces.

Per patriam vallem gemitus lux illa ciebit,
Queis feriet summum vox tremebunda polum.
Audiet e mediis excita rubecula silvis,
Ætheriasque simul linquet alauda plagas.
Consurgent Dryades, stratisque et rore relicto
Augebunt mœstos, mœsta caterva, modos.
Hei mihi! quæ fallent illam solatia lucem,
Linquet ubi patrios nostra Melissa lares?

EXERCISE XXXIV.

Postera lux oritur: viduæ concurrere multæ;
Mœsta cohors, cæsos ingemitura viros.
Ah quoties lacrimis laverunt vulnera salsis:
Nil tamen heu lacrimæ, nil pia facta valent.

Sanguine purpureo perfusa cadavera retro
   Ad vacuos secum quæque tulere lares:
Osculaque exanimis iterârunt mille, priusquam
   Tradiderant udo membra tegenda solo.

EXERCISE XXXV.

Vixit anus quædam, quam prolis copia fecit
   Dementem: tecti calceus instar erat.
Jus pueris sine pane dedit; dein usa flagello,
   "Ite," ait, "in lectum currite quisque suum."

EXERCISE XXXVI.—XL.

Quot patitur nugas, quot ineptæ mumura linguæ
   Audiit, assiduis culta puella procis.
Quidquid agit, quoquo radiantia lumina flectit,
   Importuna subest sollicitatque cohors.
Sin teneræ nullâ capiant dulcedine nugæ,
   Hæc contracta vetet frons tacitusque pudor.
Terga procus vertat nymphæ gravitate repulsus;
   Vel minimo carpit verbere musca fugam.

Quis tamen innumeram cogat discedere gentem?
   Altera succedet, fugerit una, loco.
Qui stultum novit, fratrem quoque noverit idem;
   Quis comitem quem non laudet ineptus habet?
Sic primo quæcunque aures male credula præbet,
   Hanc pœnam meritâ peste puella luit.

Forte comas quondam fingebat in ordine Doris,
   In speculo veneres dum legit illa suas.
Nunc vultu graviore sedet, nunc fronte solutâ,
   Fallit et æstivum semisupina diem.

Hìc ubi lenta jacet, gyro secat äera circum
   Lascivam torquens vespa proterva fugam.
Nunc reprimit, nunc urget iter, nunc oscula figit
   Cervici et roseis non satianda genis;
Flabelli frustra defendunt verbera vultus;
   It, redit, et semper dat reditura metus.
Scilicet ex ipsâ petulantior illa repulsâ
   Labrorum rores insidiata bibit.

Nympha fremit, rugasque trahens, "Proh numina muscas,
   "Invisum," clamat, "vos prohibete genus:
Quotquot habent pestes, non importunius ullum
   Miserunt vespâ dîque deæque malum."

EXERCISE XLI. XLII.

Ire parat medios juvenis citharædus in hostes:
   Ille inter cædes conspiciendus erit.
Accinxit lateri gladium, gestamina patris,
   Fervidaque ex humero barbitos apta jacet.
Bellator vates, "Musis," ait, "inclyta tellus,
   Te prodant alii, perfida turba, licet;
At tua jura tamen gladius servaverit unus,
   Una canet laudes nec male fida chelys."

Ipse cadit fidicen: sed pectora nescia vinci
   Hostiles manicæ non domuisse valent;
Et citharæ tacuere modi, quam semper amabat;
   Fregit enim fractas diripuitque fides.
"Nulla catena tuos unquam violabit honores,
   Virtutis pariter fons et amoris," ait:
"Istâ sibi fortis, liber sibi vindicat ista
   Carmina, servili non referenda manu."

EXERCISE XLIII.—XLV.

Carpe tuam requiem posito certamine, miles:
    Imperturbato victe sopore jace.
Ne tibi per somnos jam fingas prœlia Martis,
    Excubias noctu, nec sine fraude dies.
Dextera nescio quæ lectum clam sternit in aulâ,
    Quà domus è mediis dædala surgit aquis.
Somnifer interea ros sensum quemque pererrat,
    Dum magica ex omni murmura parte cadunt.

Carpe tuam requiem posito certamine, miles:
    Prœlia per somnos fingere parce tuos:
Carpe age, qui nescit violari, carpe soporem:
    Sit procul insomnis nox, operosa dies.
Hìc fragor armorum tibi non penetraverit aures
    Non fremet hìc sonipes dum premit ore lupos.[1]
Buccina non populos cöeuntes ulla ciebit;
    Quadrupedans raucâ non canet ala tubâ.

At tamen argutum referat tibi carmen alaudæ
    Forte sub Eoo sole novalis ager;
Tinnitusve graves rauco crepet ardea rostro,
    Signa paludosas quà canit inter aquas.
Nil non lene sonat: vigiles in limine nulli;
    Non custos, "Quò nunc, hospes, et unde," rogat.
Non equus hìc hinnit, non mandit frena; cohortis
    Clamor abest; campos ungula nulla terit.

EXERCISE XLVI.—XLVIII.

Præteritos olim nobis tutela per annos,
    O spes venturi temporis una, Deus:

[1] Cf. Ov. *Trist.* iv. 6. 3: Et placido duros accipit ore lupos.

Te petimus portum jactati turbine vitæ,
    Tu domus æternâ non peritura die.
Umbrat ubi terras sedes Tua, sede sub illâ
    Pace piis liceat semper, ut ante, frui.
Tu modo sis præsens, quid non Tua dextera possit?
    Tu castra infensâ non violanda manu.

Nondum quisque suo stabant ex ordine montes,
    Nondum erat in formam terra coacta suam,
[Ordine quàm montes hæserunt ante, priusquam
    In formam tellus est patefacta suam,]
Tu tamen es primo Deus immortalis ab ævo;
    Fine carens idem tempus in omne manes.
Sæcula prætereunt celeri Tibi mille volatu,
    Haud secus ac Vesper præteriisse solet:
Qualis et hora fugit, nocti confinis ituræ,
    Ante oriens quam Sol sub juga misit equos.

Assiduis[1] veluti fluvius devolvitur undis,
    In præceps Ætas seque suosque rapit.
Ignoti fugiunt, qualis vanescit imago,
    Prima ubi dat lucem, nec tamen orta, dies.
Præteritos olim nobis tutela per annos,
    O spes venturi temporis una, Deus;
Semper ades custos nobis, dum vita manebit;
    Sis domus æternà non peritura die.

EXERCISE XLIX. L.

Phasidos ad ripas florent loca plena rosarum,
    Cantat ubi nullo non Philomela die:
Inter avis cantus interque rosaria quondam
    Suavia sunt teneræ somnia visa mihi.

[1] Cf. Virg. *Æn.* v. 866: assiduo sale.

Et vel adhuc, verno meditor dum sola sub anno,
  In mentem redeunt umbra melosque meam:
An canit in solitis hodiè Philomela latebris?
  Estne rubor flori qui fuit ante? rogo.

Sternitur heu foliis tabentibus unda; sed horum
  Copia decerpta est, dum nituere rosæ;
Quosque calyx gratos stillavit pressus odores
  Æstatem referunt; acta sit illa licet.
Sic aliquid læti media inter gaudia raptum
  In memori semper vivere mente solet:
Utque oculis risit lenis prope Phasidos undas,
  Sic animo ridet gratia prisca loci.

EXERCISE LI. LII.

Ecce lacûs summis sol pronior incubat undis;
  Silvestres avium conticuere chori:
Majores solito tingunt juga Vesperis umbræ:—
  Tu longas ducis, Protesiläe, moras.
Si quos, curarum series variique labores
  E carâ cogunt longius ire domo;
Occiduos lenis dum Phœbus temperat ignes,
  Dilecto lateri jungite quisque latus.

Ecce diem totum vacuis qui nabat in undis
  Remigio sociam cygnus ubique petit:
Lustraque dum cervus repetit silvestria cursu
  Dama subit tardæ parsque comesque viæ.
Interea, consors posuit quà proxima sedem,
  { Garrula supremum claudit alauda melos. }
  { Ultima supremum garrit alauda melos. }
Quem non dat reducem[1] curis lux acta solutis?
  Cur tantas ducis, Protesiläe, moras?

[1] Cf. Horace, C. i. xxii. 11: curis vagor expeditis.

EXERCISE LIII.

Inclyta multorum per nomina, *Pontice*, patrum
Deducta est in te linea clara diu.
Sic via deducta est Romanis inclyta fabris;
Sic in stagnanti desiit illa luto.

EXERCISE LIV.

Olim ludebant Amor et mea Cynthia talis:
Basia persolvit debita victus Amor.
Spicula depositumque arcum Venerisque columbas,
Et bijugas victrix nympha reportat aves.
Curalium infelix mox labra imitantia jactat,
Quæ-que[1] rosa incertum est unde sit orta genis:
Protinus et geminas, menti decus, ille lacunas
Ponit, et in pulchro qui nitet ore color:
Depositos aufert tandem mea Cynthia ocellos:
Surgitur: atque orbus luce vagatur Amor.
Sin te luminibus viduaverit illa, Cupido,
Dic mihi, me miserum qualia fata manent?

.EXERCISE LV.—LVII.

Dama mihi propera; per inhospita tesqua volemus,
Quò Venus invitat corripiamus iter.
Dama mihi propera; nimium nimiumque moraris.
Fulmineos cursus postulat acer Amor.
Quocunque aspicimus nigrescunt pascua juncis;
Condiderit citius Sol geniale jubar:
Lustrandæ fessis piceâ sub nocte paludes,
Nec longam fallent carmina nulla viam.

Hæc lustra exsuperant—stagnis loca tristia latis,—
Quidquid floriferi prata decoris habent.

[1] Cf. Ovid, *Her.* vii. 10: "Quæ-que ubi sint nescis, Itala regna sequi."

Hâc iter ad nostros rapidum properamus amores :
Pratorum valeas flos et inane decus.
Dum vetat absentem mora longa revisere nympham,
Igne reluctanti pectora nostra dolent.
Dama mihi fugito : fugito velocior Euris ;
Urgeat ignavos sic mea flamma pedes.

Tu mox dilectam mirabere læta puellam,
Gaudia mox operæ prœmia magna feres.
Tu mox suspicies formam niveumque colorem,
Quique nitet castâ simplicitate decor.
[Aspice sed gracili motu quà ludit in undis
Instantesque sinu leniter arcet aquas.
Unda sequax teneros gaudens amplectitur artus :
Ah mihi dent illo ludere fata sinu.]

EXERCISE LVIII.—LXV.

Stratus ad intonsam requievit servus oryzam ;
Utque erat in dextrâ falx resupina jacet.
Pectora nuda patent, fususque sine ordine crinis
Sordet arenosâ semisepultus humo.
Per tenebras iterum dubiâ sub imagine somni
Ille videt patriæ dulcia rura suæ.

Cernere erat rerum speciem per somnia latam,
Quà Niger effusis maximus ibat aquis.
Per campos iterum rex incedebat avitos,
Plurima quà notum palma tegebat iter :
Plaustraque, dum prono descendunt tramite montis,
Ordine tinnitus continuata dabant.

Regia cœruleis conjux subridet ocellis,
Inter progeniem conspicienda suam.

Oscula nunc libant, nectunt modo colla lacertis,
Nunc manibus certant conseruisse manus.
Palpebræ subitâ trepidant adspergine clausæ,
Et lacrima in medio pulvere lapsa cadit.

Protinus immissis equitare est visus habenis,
Per Nigri ripas præcipitabat iter.
Auro facta vicem frœnorum vincula præstant;
Castrensique crepant Martia tela sono:
Dumque abit exsultans, audit quo verbere costas
Vagina ardentis ferrea pulset equi.

Haud secus ac fluitat vexilli purpura rubri,
Ibides ante oculos, splendida turba, volant.
Per campos sequitur, platanis loca consita, cursum:
Luce oriente urget luce cadente fugam.
Maurarum tandem prospectat tecta casarum,
Immensique procul panditur unda maris.

Audiit horrendâ nocturnos voce leones,
Et variæ circum confremuere feræ.
Fit fragor, ut stratos perrumpit bellua juncos,
Serpit ubi tacitis abditus amnis aquis:
Venit et in somnis echo mistique tumultus,
Quale sonat pompæ prætereuntis iter.

"Liber eris," silvæ non uno murmure clamant,—
Mille simul geminant murmura, "Liber eris."
Non aliis resonant ululatibus avia passim,
Bacchantesque fremunt per loca sola Noti.
Horruit in somnis: comissantesque procellæ
Dum ludunt, illi risus in ore sedet.

Nequidquam scuticæ minitatur verbera custos;
Nil toto lædit fervidus igne dies:

Lethæis tandem Libitina illuxerat oris;
  Ipse jacet sicco corpus inane solo.
Namque anima, effeti ruptâ compagine vincli,
  Carpserat æthercam libera facta viam.

EXERCISE LXVI.—LXVIII.

Jam circumsiliunt culices in margine rivi;
  Summa[1] recens lapso rore madescit humus.
Jam vespertinâ resonant perdice novales,
  Juncosos comitem dum vocat inter agros.
Hìc merula arguto geminavit gutture cantum,
  Quo nemus et densi consonuere rubi:
Hìc muri cultrix turriti gestit hirundo,
  Liberaque assiduis orbibus urget iter.

Interea modulos reparat sub vespere turdus,
  Quum nitet aurato lux moritura polo:
Cunctantemque diem totâ dulcedine fallit
  Quæ capit ex rubro pectore nomen avis.
Inde ubi progeniem teneram raptosque penates
  Galbula languidulo flebilis ore dolet,
Per medios gaudens acalanthis ludere dumos
  Devia frondosas itque reditque vias.

Germina contraxit clausum pendentia baccar;
  Composuit tenues non rosa nulla comas:
Inde periclymenos gratos diffundit odores;
  Temperat hinc auras betula valle suas.
Vana petant alii regalis gaudia tecti,
  Et celebres ineant, turba jocosa, dapes:
Arte licet careant, tamen arte carentia cordi
  Gaudia Naturæ pluris habenda meo.

[1] Cf. Virg. *G.* iii. 156: "Sole recens orto."

EXERCISE LXIX. LXX.

Ungula sit, quâ non præstantior altera cursu,
  Armaque mordaci non hebetata situ :
Nil aliud cupimus ; generosis cætera sordent,
  Cætera nil, fortes quo capiantur, habent.
Ergo quum fremuit sonipes hinnitibus acer,
  Mugitusque graves tympana pulsa cient,
Dum lituus claro resonat clangore per auras,
  Non nisi divinum sensimus inde melos.
Quid quòd ubi turmis equites tonuere coactis,
  Bellantûmque oritur vox geminata virûm,
Forsitan æthereis cedat deductus ab oris
  Cœlicola, aut Stygias deserat umbra domos.

Eja [1] animis conscendite equos, generosa juventus :
  Certatim galeam sumite quisque suam.
Ecce Pudor pariter, pariter nos Gloria, Mortis
  Nuntius ad Martem rursus uterque vocat.
Nulli fœmineo turgescent lumina fletu,
  Quum capulus dextrâ corripiendus erit :
Ibimus en vacui ; neque suspirabimus unquam
  Virgineis præstet siqua puella choris.
Sic puer imbellis, calamo sic pastor agresti,
  Flebilibus certent ingemuisse modis.
More virûm nobis restat pugnare, sodales :
  Heröum restat more modoque mori.

EXERCISE LXXI. LXXII.

Quàm dulces inter, pellucide *Devona*, ripas
  Serpis, ubi vernat flos tibi, silva viret :

[1] Cf. Virg. *Æn.* xi. 438 : "Ibo animis contra," etc., and line 18.

Quæ tamen una tuis prælucet floribus, olim
  In clivis gemmam protulit *Ara* suis.
Hunc videat calycem Sol almus suave rubentem,
  Lux ubi purpureis roscida prodit equis :
Et vos O verni descendite leniter imbres,
  Vespere queis tacito frons renovata viret.

Parce, precor, tenero flori quæ frigida pennâ
  Aura pruinosâ nuntia lucis ades :
Sisque procul, coluber, violas qui dente rapaci
  Quidquid habent horti, quidquid honoris ager.
Aurea Borbonici reges sua lilia jactent ;
  Læta triumphales, Anglia, pande rosas :
Pulchrior his virides saltus mihi flosculus ornat,
  Hìc ubi mæandros *Devona* dulcis agit.

EXERCISE LXXIII.

Quà cecidit, tellure ducem posuere cavatâ.
  { Signa loci quæris ? nulla relicta manent. }
  { Sed tumuli nusquam signa relicta manent. }
Delevit damnosa dies monimenta Sibyllæ ;
  Marmoris et sacri fragmina rara jacent.
Sed vel adhunc tenuis fons stillat ab aggere parvo,
  Sistere quò gressus sæpe viator amat :
Unde vago satiùs miretur lumine campos,
  Ruraque non nullo commemoranda die.
Nec minus hìc carpit pubes pastoria juncos,
  Quæque natat mediis edita lotos aquis :
Dumque juvat coryli prosternere membra sub umbrâ,
  Quisque suis properat serta decora comis.
Nec venit in mentem pueris quâ sede morentur,
  Ut ducis impavidi contegat ossa solum.

EXERCISE LXXIV. LXXV.

Si modo Fata meæ producent stamina vitæ,
   Nique tui fastûs victima mœsta cadam,
Ipse ego te cernam nullos celebrare triumphos;
   Desierit tandem sceptra tenere Venus.
Tempus enim tactu capitis mutaverit auro
   Argentum, rigidam mollitiemque dabit:
Sidereâ lychni desuescent luce micantes,
   Ut nunc, æthereum præradiare jubar.
Non jam Luciferi veneres æquante coruscas
   Lumine cernentur molle rubere genæ;
Sicubi dat parvas risus tibi in ore lacunas,
   "Jam venient rugæ quæ tibi corpus arent."

O quàm mœsta nihil valituri signa doloris
   Es lacrimas illo sæpe datura die:
Votaque lugebis te tot sprevisse procorum,
   Flebis et elapsos qui periere dies.
Nil desiderium, nil me suspiria tangent;
   Non poterunt luctum corde movere meo.
Illa supra tumulum nostri effundentur Amoris;
   Illius inferias manibus ista dabis.

EXERCISE LXXVI. LXXVII.

Sol procul Australes cursu petit annuus oras;
   Jam spoliant Euri flamina fronde nemus.
Sponte suâ fetus labuntur ab arbore nudâ:
   Tristis hiems pariter rura polumque tenet.
Torpuit omne solum: frustra quæsiveris herbam;
   Non avis alterno carmine certat avi.
Tantùm nigra comas vivaces laurea jactat;
   Et sentâ secum turdus in arce gemit.

Nunc ubi veris honos? ubi rerum dulcis imago?
  Flabraque de canis non inodora rubis?
Quæ nituere jugis ubi nunc armenta vagantur?
  Quæque per umbrosum cantat alauda nemus?
Vesper mitis abest, Autumnique otia fusci,
  Quum matura novo fragrat odore seges:
Tempore quo celebrat collis declivia pagus,
  Claraque vox latè tonsa per arva sonat.

EXERCISE LXXVIII.—LXXXI.

Illa cohors uno crevit nitidissima cultu;
  Lætificis sonuit risibus una domus.
Condita nunc recubant non uno membra sepulcro;
  Sepositos cineres mons, mare, flumen, habet.
Una supra noctu genitrix se flexit amatos;
  Basia sopitis frontibus illa dedit.
Ante oculos clausit calycem flos quisque tenellum.
  O ubi nunc clausus dormit, ut ante, calyx?

Occiduos intra saltus jacet alter, ad amnem
  Qui ferrugineas in mare volvit aquas.
Indica gens placidam monstravit conscia sedem,
  Nigraque sacratam cedrus obumbrat humum.
Cæruleis alter dormit submersus in undis,
  Quà latebras inter plurima bacca nitet:
Ante alios fuerat juvenis carissimus omnes;
  Sed lacrima occultum nulla cubile rigat.

Sternitur hic audax audaces inter, ad Austros
  Vitis ubi curvâ falce putata viret.
Implicitus cecidit vexillo pectora miles,
  Rubroque Hispanam sanguine tinxit humum.

Illa jacet: myrtus spargit super ossa coronam,
    Leniter ut teneras ventilat aura comas.
Hesperios inter paullatim tabuit hortos,
    Ultima festivi spesque decusque chori.

Sic hodiè, viridi colludere sueta sub umbrâ,
    Juncta cohors quondam, dissociata jacet:—
Quæ prius ante pedes, inflexo poplite, matris
    Immistas tenero reddidit ore preces:—
Dissociata cohors, quamvis hilaraverat aulam
    Risibus, et patrium carmine læta focum!
Hei mihi! si mortalis Amor, quid amâsse juvabit?
    Si nil præterea Terra quod addat habet.

EXERCISE LXXXII. LXXXIII.

Frondea populeæ cecidere umbracula silvæ;
    Murmura per gelidum conticuere nemus.
Lusus abest Zephyri, frondes posuere susurros,
    Nec speciem rerum, quam prius, *Usa* refert.
Ut notos saltus dilectaque rura revisi,
    Ad duo sunt annos addita lustra duo.
Aspice, dejectâ nunc sternitur arbore gramen,
    Et mihi dat sedem quæ prius umbra fuit.
Jam procul hinc merulæ quærunt nova tecta fugaces,
    Solis ubi radios umbra colurna levat.
Quæ placuere prius, dulces siluere querelæ,
    Nec resonat liquidum nunc, velut ante, melos.

Sed celeri nimium celeri pede præterit Ætas;
    Ipse modo trunci quo cecidere cadam.
Pectora cæspitibus, saxo caput ante recondar
    Quàm silva in solito par erit orta loco.

Hæ docuere vices memori sub pectore semper
Volvere, uti properent gaudia nostra mori.
Vita quidem brevis est; brevior tamen ante voluptas,
Quàm pereunt ipsi qui rapuere, perit!

EXERCISE LXXXIV. LXXXV.

Carpite, dum fas est, nymphæ, cito carpite flores;
Non revocanda iterum, dum loquor, hora fugit:
Quæque hodiè lætis sese rosa pandit in hortis,
Dejiciet tenerum cras moribunda caput.
Lampade quò Phœbus cœli sublimiùs arces
Occupat, et nitidos altiùs urget equos,
Hoc citiùs notam properabit tangere metam,
Hesperiis citiùs mersus abibit aquis.

Optima sunt vitæ quæ tempora prima virescunt,
Sanguine quum venæ fervidiore tument.
Sed fugiunt anni, neque restat pristina virtus,
Deteriorque subit deteriorque dies.
Este igitur[1] faciles, dum sit reparabile tempus,
Nubite, dum fas est, nubite quæque viro:
Nam simul ac Veneris matura effugerit ætas,
Usque moras vobis afferet hora novas.

EXERCISE LXXXVI. LXXXVII.

Quid juvat hìc inter lapsas sedisse columnas,
Torve senex, canis conspiciende comis?
Anne placet tecti famam revocare priorem?
Quove modo reputas sit resolutus honor?
"Ille ego, si nescis," horrendâ voce vicissim,
"Quem toties perdis sæpe potitus," ait:
"Qui reus alternis, quò vana superbia ducit,
Qui desiderium ludibriumve vocor.

[1] Cf. Virg. *Ecl.* iii. 9: "Sed faciles Nymphæ risere."

Me spirante, homines abeunt hominumque labores,
Qualis ubi flammis stuppa cremata perit;
Imperia augentur, variis obnoxia fatis,
Decrescuntve pari stantve ruuntve vice.
Utendum est ætate: tibi brevis hora superstes,
Dum levis in vitreo carcere arena tremit:
Stabit in æternum tua sors, modo fugerit Ætas,
Seu te læta manent tempora, sive dolor."

EXERCISE LXXXVIII.

Dux immaturâ languentem morte puellam
Viderat, et tetigit corda paterna dolor.
"Qui patriâ quondam fugit puer exul ab orâ,
Hunc referam," clamat, "restituamque procum."
Prætereunt horæ, nec deserit illa fenestram,
Si forte adventum cernat amantis amans.
Rursus adest juvenis, consueta cubilia rursus
Suspicit, et reducem despicit illa virum.
Despicit: at pallor deformem fecerat Æglen;
Nec puer agnoscit, rideat illa licet.
"Me miserum," exclamat summo exanimata dolore,
"Immemor ille potest immemor esse mei?"—
Nil puero lacrimæ, nil nunc suspiria prosunt.
Virginis, ut cinĕres, diriguere genæ.
Sed teneros solvent nec[1] amantia rursus ocellos
Oscula, nec clausōs ipse recludet Amor.

EXERCISE LXXXIX.

Flevimus heu subter Babylonia tecta sedentes,
Ibat ubi liquidis plurimus amnis aquis;
Flevimus, ut mentem subiit Sionis imago,
Et patrii nunquam rura videnda soli.

[1] Cf. Ovid, *Her.* xi. 69: "Dicit-que precantia verba," and *A. A.* i. 371.

Muta super virides pendebat tibia ramos,
  Et salices tacitas sustinuere lyras.
Quippe procul patriâ qui tristes duxit in oras,
  Nos jubet ad patrios verba referre modos:
Nec minus exposcit Solymæ populator opimæ
  Scilicet in mediis carmina læta malis.
Ergo erit ut regio divinos hospita cantus
  Audiat, aut sacrum terra profana melos?

EXERCISE XC. XCI.

Lux pariter tenebris pariter mens nostra laborat:
  Nunc quoque prima nitet, nec tamen orta, dies.
Quin simul excusso properamus ad arma sopore?
  Audite [1] ut lucis concinat auctor avis.
An Scythicos linquens campos manus illa propinquat,
  Scilicet ut nostro sanguine tingat humum?
Cæsaris an gerit et cultus, et Cæsaris arma?
  Ordine quisque suo quæ jubet ille facit.

Non pedites nobis, equites non splendor inaurat,
  Imperjuratâ [2] pectora juncta fide:
Sed tamen occultis ardent præcordia flammis;
  Corda simul vinclis ira furorque ligant.
Cædite, Sarmatici; discetis seriùs illud,
  { Sub vultu mœsto vivida flamma latet.
  { Vultibus in mœstis abdita flamma latet. }

EXERCISE XCII.—XCIV.

Ad juvenis lectum carmen funebre sonabat,
  Talia dum genitrix flebilis ore canit:

[1] Cf. Propert. *El.* iv. 3. 32: "Lucis et auctores non dare carmen aves."
[2] Cf. Virg. *Æn.* ii. 348: "Juvenes, fortissima frustra Pectora."

Nate, ait, an dormis? quò pax? quò spiritus iste?
    Quò fugit roseus, qui fuit ante, color?
His ego non somnis puerilia membra levabam
    Vespere, materno semisupina sinu:
Heu requie quantum requies hæc distat ab illâ,
    Lux mea, deliciæ matris, Ianthi, tuæ!
Fulget adhuc proprio quæ semper fulsit honore
    Frons tibi, sed pallor mortis in ore sedet;
Cur adsum infelix? quo possum numine mortem
    Adspectare tuam, nec tamen ausa mori?

Quo non candidior, quo non audacior alter
    Exstitit, ante oculos mortuus ecce jaces;
Mortuus ecce jaces, et adhuc tibi, nate, superstes
    Qui non debuerat deperiisse decor.
Ora licet risu careant, et lumina torpor
    Ignibus accipitrem quondam imitata gravet:
Nec jam libera eant agili vestigia cursu,
    Queis alas visa est aura dedisse suas,
Ad lectum quoties dixi,—"Puer, excute somnos;
    Surge age, venator, jam nitet orta dies:"—
Pulcher adhuc vernas, tibi nec decrescere cœpit,
    Floscule, paullatim tabe peremptus honor:
Stirps ego sicca moror; mortemque enecta dolendo
    Ut precer, at nostras mors fugit usque preces.

Materno quoties conspexi lumine vultus,
    Ardentesque genas, conspicuosque gradus,
Certa fui nimium, (melius nescire fuisset,)
    Dura tibi longos fata negâsse dies.
Vox sæpe admonuit, leni me affata susurro,
    Consciaque hoc didici; tu moriturus eras:
Tu moriturus eras, ubi cæde rubentia multâ
    Arma coruscarent, nescius ipse metûs.

Impia quid vivo mater? quî dicere possum,
"Quem peperi primum filius ecce jacet?"—
At famam memorant juvenilem actosque triumphos,
Victrici memorant prœlia gesta manu.
Tu loquere, et fuerit tua vox audita loquentis,
Lux mea, deliciæ matris, Ianthi, tuæ.

EXERCISE XCV.

Si mihi visa fores morti superabilis atræ,
Sparsisset nunquam lacrima mœsta genas:
At securus eram, tecumque amplexibus hærens
Dedidici infelix te quoque posse mori.
Non unquam subiit mentem peritura voluptas,
Visus erat nunquam tam prope abesse dies,
Quum mihi ridenti subridens ultima abires,
Non oculis iterum conspicienda meis.

EXERCISE XCVI.

Æthereas quondam calamum connixus in auras
Contorsi: ignoto decidit ille loco.
Lapsa sagitta latet: nequeo reperire latebras,
Tam celeri visa est præteriisse fugâ.
Cantabam, memini: sonus exit in æthera dulcis,
Raptaque nescio quâ vox regione cadit;
Nam quis tam vegetis, sit quamvis acer, ocellis
Utitur, ut cantús cernere possit iter?
Solibus exactis media inter brachia quercûs
Incolumis calamus, quà prius hæsit, erat:
Nec minus integro numerorum copia cantu
Dilecti rediit mente reposta viri.

EXERCISE XCVII.—XCIX.

Lesbia, non auri me cogit abire cupido;
Non famæ perago ductus amore viam:
Rideat alma licet vultu fortuna sereno,
Nec laudis meritæ præmia ferre vetet.
At nostros aurum gressus tamen urget euntis,
At famam cupidus, quò vocat illa sequor:
Scilicet alterius colat ut nova gratia frontem,
Crescat ut alterius nomen honore meo.

Nil aliud quæro; sic te caruisse parumper
Possumus, è-que tuo longius ire sinu:
Linquere sic pacem, quæque otia fovimus unà,
Tu quoties risus fida puella dabas.
Itur in invisum, mea Lesbia, fortiter orbem,
Qui mihi non nullâ parte petendus erit.
Fata sequor dubius peregrinis exsul arenis,
Æquoreas ausus sollicitare vias.

Quumque erit ut nostram decoret sua laurea frontem,
Est ubi non titulos spreverit una meos:
Quumque auro potiar, partâ mercede laborum,
Est ubi temporibus gesserit una suis.
Quumque erit ut patriæ natalia rura revisam,
Et nostræ pars sit quæstus uterque viæ;
Est ubi per medios ponam vestigia risus,
Et dextram arripiet dextra vel una meam.

EXERCISE C. CI.

"Tempus erat," clamant, "tempus discedere," nautæ:
"Nos hora ulterius sera manere vetat."

Tum didici primum te, Deidamia, magistrâ
Quantum significent lumina docta loqui.
Ut trepida accessit virgo similisque labanti
Incipit effari terque quaterque *Vale:*
Sed periere prius verba imperfecta loquentis
Quàm potuit medios fingere lingua sonos.

Inde caput flectens blandis subrisit ocellis,
Atque humeris circum brachia lenta dedit;
Ac veluti silvas Zephyri fovet aura, lacertis
Cervicem teneris sic fovet illa meam.
Corripui nympham, lætusque ad pectora pressi,
Cordaque deliciis intremuere novis.
Illa autem lacrimata magis lenique susurro,
"Nos utinam fatum non sociâsset," ait.

EXERCISE CII.—CIV.

Dum saliunt undæ liquidi per cærula ponti,
Humida dum Zephyro vela sequente tument:
Candida dum crepitant effusis carbasa ventis,
Et teretis mali fit tremebundus apex:
Dum teres, O socii, tremit usque a vertice malus,
More aquilæ, navis libera carpit iter:
Carpit iter navis, vitreasque supervolat undas;
Et patria a lævâ parte relicta latet.

"Vos Zephyri lenes, flatu spirate secundo,"—
Candida submissâ voce puella rogat.
Sit mihi qui stridet Boreas spiramine rauco,
Sint tumidi fluctus spumiferumque mare.
Spumiferi fluctus mihi sint undæque tumentes;
Libera sit, comites, et bene texta ratis.

Scilicet immensi nobis domus æquora ponti;
  Semper amans risûs lætaque turba sumus.

En tempestates minitatur Luna bicornis,
  Et gravidæ nubes fulgura clara monent.
Fallimur? an resonant genialia murmura, nautæ,
  Ingentique fremunt stridula flabra sono?
Stridula flabra fremunt, Eurusque insibilat undis;
  Fulmine dum rapido nubila tota micant.
Regia sed nobis, comites, est concava quercus;—
  Hæredes Nerei progeniesque sumus.

EXERCISE CV. CVI.

Montibus in patriis non jam velut ante videtur;
  Quærimus amissum per nemus omne virum.
Fontis ut æstivis siccantur solibus undæ,
  { Rebus in extremis non bene noster abest.
  { Sic quoque nunc absens non bene noster abest. }
Imbribus a pluviis undas fons illa vicissim
  Accipiet, rivis desilietque novis:
Nulla tamen veniunt nobis solatia luctûs:
  { Et, Duncane, tibi crastina nulla dies.
  { Crastina Duncano non venit ulla dies. }

Dextera messoris canas decerpsit aristas:
  Nos flemus mœstâ voce virile decus.
Scilicet Autumni violento flamina cursu
  Flaventes rapiunt inde vel inde comas:
Vix tamen ille dabat gemmas primumque ruborem
  Flosculus, ut præsens adstitit atra dies.

EXERCISE CVII.

{ Litora dinumerent alii redolentia myrto,
{ Suavibus enumerent alii loca consita myrtis, }
  Queis nitido solis numine crescit odor.

Suavior ista filix viret in convalle reductâ,
 Quà fontem tacitum flava genista tegit :
Suaviùs arrident longè loca plena genistæ,
 Quà latebras violæ proxima bellis habet :
Namque per incultos exsultans devia flores,
 Sæpe tuum repetit Phyllis, acanthi, melos.

EXERCISE CVIII.—CXI.

Forte sub arboreis vitabam frondibus æstum ;
 Gramineo dederam membra levanda toro :
Aspice per mediam, rerum dulcissima, silvam,
 Numine nescio quo ducta, Corinna venit.
Præterit, et torvis minitata exclamat ocellis,
 " Pastorem, Corydon, non decet ista quies :
Tune jaces," inquit ; " pudeat sic perdere tempus,
 Segnibus O fucis segnior ipse puer ?

" Siccine tu Panos decreta novissima nostri
 Spernis, et agresti dona parata choro ?
Namque hodiè si cui fuerit dulcissima arundo,
 Hic juvenis victor præmia digna feret.
Quotquot opimus habet campus certare paratos
 Pastores pariter spesque metusque trahunt.

" Siccine cedendum est aliis, ignave, puellis ?
 Nymphane fulgebit cultior ulla tuâ ?
Surge age jam, pastor, cantus meditare priores,
 Implicet ut nostrum festa corona caput."—
" Hei mihi, noster amor, quid tanta superbia prodest,"
 " Quæ meliùs," clamo, " regis in ore sedet ?
Quumque tuos habeam scriptos in pectore honores,
 Est nihil in toto quod magis orbe velim.

"Sordida sit vestis, mihi tu pulcherrima prodis.
    Sint nitidæ nymphæ, tu mihi sola nites.
Pulchra licet sedeat Maiis regina Calendis,
    Illecebris cedit, cara puella, tuis.
Contrahat obductam frontem Fortuna licebit,
    Nec te purpureâ veste nitere sinat;
At tibi sit mecum sat consedisse sub umbrâ
    Atque in pastorem jus habuisse tuum."

EXERCISE CXII.—CXV.

Quum rutilos surgens ostendit Lucifer ignes,
    Tu requiesce tamen : surgere parce toro.
Quumque Aurora redux cano obscuratur amictu,
    Quid satius somno ? sit tua cura sopor.
Manè feræ surgunt : exemplo parce moveri.
    Nos homines, illæ spreta caterva feræ !

Jupiter æstivo modo riserit æthere purus,
    Mittet cœlicolûm visa videnda tibi.
Idem si gravido sævus descenderit imbre,
    Hoc sibi vult monitu, "Morphea rursus adi."
Siccus in ambiguo est an venerit uvidus; at tu
    Dum veniat vultu certior ille, mane.

Visne per informes squalore incedere vicos ?
    Decussi tegetis vin' capere ore lutum ?
Vin' desolatâ spatiari frigidus aulâ,
    Offendens scopis inde vel inde pedem ?
Vin' circum ancillas tetrico scrutarier ore ?—
    Hæc matutinis sors dat habere viris.

Jurgia vitârunt quæsiti manè sopores,
    Nec mentem studio comminuêre lucri.

Hi pariter curas pariter pepulere dolores,
Hi quoque confecti corporis ossa levant.
Si scelera evolvas quot sint ubicunque peracta,
In somno fieri pars quota manè solet?

EXERCISE CXVI. CXVII.

Vana petis: vernos numeras non stultiùs imbres,
Quàm si virginibus credis inesse fidem.
Haud aliter steriles Libyæ sulcâris arenas,
Aut tempestatum robora casse premes.
Aura levis, fateor; levior tamen illa: sit auceps
Insidias doctus, doctior illa venit.
Est illi rapidis par inconstantia ventis,
Cordaque brumali frigidiora gelu.

Sæpiùs imperio puduit me cedere turpi,
Et dominæ nitor rumpere vincla meæ:
Vincere constituo stultum ratione furorem,
Nec toties læsam crimine flere fidem.
At fugiunt oculos eheu nova somnia nostros,
Tam magica egregio gratia in ore nitet:
Et, modò prospiciens in me vaga lumina vertat,
In cœlum aut Stygios advehor usque locos.

EXERCISE CXVIII.—CXX.

Vidimus ire unà melioris tempora vitæ;
Quod superest patiar pessima solus ego.
Sole cares læto pariter tristique procellâ;
Finis adest luctûs lætitiæque tibi;
Parta tibi placidi non rupta silentia somni,
Exoptanda magis quàm mihi flenda quies,

Nec juvat illecebras gemitu plorare peremptas
  Quas potui tardâ cernere abire lue.

Quæ rosa purpureo pulcherrima flore rubebat,
  Ante diem subito funere rapta perit.
Dextra licet gemmam nascentem vellere parcat,
  Protinus effusis decidet illa comis.
Sed tamen ante oculos abeat si gratia sensim,
  Inque diem foliis excidat omne decus,
Ah luctu florem quanto majore sequamur,
  Quàm si continuò diripiatur honos.
Scilicet amissam mortalia lumina formam,
  Et speciosa prius turpia facta, dolent.

Vix, puto, languentes potuissem cernere risus,
  Dum tibi marcebat tantus in ore decor:
Ipsa etiam, tali subiit quæ proxima luci,
  Plus solito nigris nox abiisset equis.
At tibi læta dies semper sine nube refulsit;
  Candida in extremo tempore, ut ante, nites.
Incorrupta lates: veluti clarissima semper
  Æthere de summo sidera lapsa micant.

EXERCISE CXXI.

Quam subitâ nuper pluviâ roraverat imber
  Detulit Æmiliæ nostra Neæra rosam.
Sensit onus nimio flos pondere lassus aquarum;
  Degravat et nitidum plurima gutta caput.
Et folia et calycem largus compleverat humor;
  Quæque solent flentes signa dare, illa dabat:
Visa mihi gemmas, memini, plorare relictas,
  Quæ quondam sociis erubuere comis.

Corripui: meliùs nunquam rapuisse fuisset,—
Uda fuit nimiùm, nec satis apta legi:
Dumque manus frondes agitat malè cauta madentes,
Me miserum! cecidit flos modo pulcher humi.

EXERCISE CXXII.

Telluris dea pulchra, novis redimita corollis,
Orat amans, usto surge vocata solo.
Eja age, ruris opes aperi, veneresque puellæ
Detege, quò gressus sidera cunque regant.
Sive petat cursu Rhipæi frigora cœli,
Lilia tu tremulo flore virere jube;
Fac rosa per gelidos trudat sua germina campos:
Hâc absente premit me Borealis hiems.
Sive pedes flectat zonæ torrentis ad æstus,
Fac lenis Zephyri ventilet aura viam:
Huc volucres jubeas vocales cogere cœtus:
Mitis ibi zona est: huc tulit illa faces.

Ver geniale, comes dominæ sis: copia quamvis
Deficiat nobis quas dedit annus opum.

EXERCISE CXXIII.—CXXV.

Scotica chorda, vale: nigrant caligine montes,
Auctaque purpureis incubat umbra jugis:
Per tenebras silüæ lampyridis igne coruscant;
Sub dubiâ cervus luce rubeta petit.
Tu repetens ulmum magicam, da consona fonti
Murmura, da tristi, tristior ipsa, Noto:
Dum vespertinæ resonant simul undique voces,
Et per rura procul reddit ovile melos:

Tempore quo serus modulatur arundine carmen
  Pastor, et ad cellas lene susurrat apis.

Ast iterum valeas, lyra dilectissima vati,
  Da veniam indignum me tetigisse fides:
Nil moror arbitrium castigatoris acuti,
  Tenuia si tenuis carmina nostra putet.
Quid me non juvit tua vox per tædia vitæ,
  Occulto quoties corda dolore tument?
Quum pepulit noctis tristes lux tristior umbras,
  Et gravior luctus non sociandus erat.
Quòd potui tantas[1] vivendo vincere curas,
  Muneris[2] hoc totum est, blanda Camœna, tui.

Fallor? an ut flecto vestigia tarda retrorsum,
  Nescio quis movit fila canora deus?
Seu temere exsultant Phœbeo fervida tactu,
  Seu Dryadis pennâ prætereunte tremunt.
Jamque per anfractus sensim scopulosque recedens
  Languidior cantus languidiorque cadit;
Jamque super montes longè dulcedine raptâ,
  Vix tulit incertos mobilis aura sonos:
Nec mora: sopitæ traxere silentia terræ.
  Arte potens magicâ, Scotica chorda, vale.

EXERCISE CXXVI. CXXVII.

Vidimus occiduum non nullo vespere solem,
  Qualis in æquoreas præcipitetur aquas.
Sed tamen—exierit tempus breve—viribus auctis,
  { Non alio vegetus lumine rursus adest. }
  { Non alio rediens integer orbe nitet. }
Idem iterat cursus claros, idemque revertit,
  Sive oritur, certâ lampade, sive cadit.

[1] Cf. Virg. *Æn.* xi. 160. [2] Cf. Hor. *C.* iv. 3. 21.

Prœlia ventorum vidi variosque furores,
   Quos leges nullæ, tempora nulla, domant.
Queis modo contrahitur rabies, modo libera gliscit;
{ Ocyor hic illo est, sed mora nulla fugæ. }
{ Impetus est dispar, sed sine fine ruunt. }

Fontibus a primis primâque ab origine lapsus
   Æquor adit torrens, rivulus æquor adit.
Nescio quid pereat rivo, sive augeat, ipse
   Imperturbatum, quod prius, urget iter.
Usque novis fervent undantes fluctibus urnæ,
   Nec dolet absentes vividus æstus aquas.

EXERCISE CXXVIII. CXXIX.

Quà sacra consurgunt Idæi culmina montis,
   Mista ubi cupressis pinea silva viret;
Sederat ut tenerâ pulcherrima nympha juventâ,
   Per totos secum flet taciturna dies.
Hìc Autumnali stridentia flabra tumultu
   Mœsta dabant mœstos per nemus omne sonos.
Rara supra dubio volitabant nubila cœlo:
   Imâ volvebat valle Scamander aquas.

"Heu ubi pacta fides? Pari, sic me, sæve, relinquis?"
   Incipit infelix sic sibi nympha queri,—
"Siccine me poteras non talia fata merentem
   Conjugis et caræ deseruisse torum?
Oscula cur fugiens et amantia[1] verba negâsti,
   Nec tua sustinuit dicere lingua, Vale?
O si cor nimios posset finire dolores,
   Atque animo facies excidere ista meo!"

[1] Cf. Exercise lxxxviii. 15, reference.

EXERCISE CXXX.—CXXXIV.

Aut nullam, Lalage, nullam mihi necte corollam,
Aut de cupressi nexa sit illa comis :
Lilia resplendent nimios incocta nitores,
Arbutus et nimio picta colore rubet.
Nostro serta caput caltharum lætius ornent
Pensilibus Maio tempore mista rosis :
At nullam, Lalage, nullam mihi necte corollam,
Aut de cupressi nexa sit illa comis.

Euphrosynen, faciles quæ pandit in ore lacunas,
Cingere felici tempora vite juvet :
Fortem pro patriâ dignetur mascula quercus,
Aptum consiliis debita taxus amet.
Adde quòd afflictos confirmat myrtus amantes ;
Sed de te, Lalage, non mihi myrtus erit.
Ergo mitte levem nobis properare corollam,
Aut de cupressi facta sit illa comis.

Anglia, quæ peperit sibi præmia sanguine tanto,
Exsultans altè jactet utramque rosam :
Cœruleoque apici Caledonia nectat ericam,
Et quas rorantes das, hyacinthe, comas.
Flore licet felix decorârit Hibernia cristam,
Qui ridet viridis fronde smaragdineâ :
At nullam, Lalage, nullam mihi necte corollam,
Aut de cupressi nexa sit illa comis

Raptim pelle lyram : Musæis inde puellæ
Deproperent hederas, dona decora, comis :
Quumque sibi in meritam perget vincire coronam
Victor sanguineâ laurea serta manu,

Ferrea vox litui tum prædicet ære triumphum;
  Tu, quum funereos afferet aura sonos,
Tum, Lalage, mihi necte precor, tum necte corollam,
  Et de cupressi nexa sit illa comis.

Immo texe mihi, tum vero texe cupressum;
  At nunc, O Lalage, texere parce precor:
Texere parce precor, rapidi dum fugerit anni
  Pars brevis, et pereant lumen amorque mihi:
Tempore quo pagus violis rorique marino
  Et rutis feretrum supposuere meum:
Tum, Lalage, mihi necte precor, tum necte corollam,
  Et de cupressi nexa sit illa comis.

EXERCISE CXXXV. CXXXVI.

Rivule, siste fugam; cur vallem linquere gestis
  Quæ ripas virides cingit amœna tibi?
Fonte modo exibas, quum lux te prima videret:
  Vespere cur magni pars maris esse cupis?
Tum primùm exoriente die non tenuior ulla
  Edita de gelido pumice nympha fuit;
Flos neque deflexâ quisquam cervice notabat
  Quâ furtim tacitâ serperet unda viâ.
Jam te de medio cœli sol despicit axe,
  Dum pleno tumidas agmine volvis aquas,
Splendidior quàm quæ clarissima labitur unda,
  Acrior et rapidâ quàm ruit ulla fugâ.

Ah mihi quò properas? quæ tanta est gloria magni
  Fluminis? Oceano curve perire juvat?
Ipsi te fontes in vasta oblivia trudunt,
  Ocyùs et donis nil nisi busta parant.

Quin mecum viridi felix convalle moratus
   Florida tranquillo rura liquore foves?
Et rivus longo potiùs consumeris ævo,
   Quàm fluvius rapido funere mersus obis?

EXERCISE CXXXVII. CXXXVIII.

Sylvicolas inter volucres gratissima cantu,
   Anni nascentis nuntia blanda, vale:
Quando erit ut tandem repares tua carmina nobis,
   Quosque modos surdâ nox bibat aure canas?
Seu fugis exspectans cessantia tempora Veris,
   Seu nostrum celebras, incola muta, nemus;
Te sibi Melpomene tristis sociabit amicam,
   Melpomene custos carminis ipsa sui.

Sæpe tibi veniet cauto pede mœstus Amyntas,
   Devia muscosos quò tegit umbra lares;
Arcebitque oculos pastoria nympha profanos,
   Mitis ubi flenti consona flebit avis.
At desiderium tu semper molle ciebis,
   Seu quis amat, grato carmine, sive dolet.

EXERCISE CXXXIX. CXL.

Quæ geris ex humeris nitidum candentibus arcum,
   Sub radios solam me juvat ire tuos:
Nunc juvat amne tuam tremulo spectare figuram,
   Nunc prætenta tuæ nubila sæpe viæ.
His quoties oculos pasco, tua dulcis imago
   Pectore tranquillat prælia mota meo:
Succurritque, tuo num forte supersit in orbe,
   Cynthia, noctis honos, tristibus apta quies.

Forsitan in terris qui mille tulere labores
    Deveniant istos vindice morte locos :
Forsitan alma bibant istic oblivia curæ
    Quos sperare nihil numina læva sinunt.
O mihi tam placidâ si sit regione potiri,
    Quæ nunc in terris lassa dolensque vagor !

END OF PART I.

PART II.

EXERCISE I.

ASPICE jam tardæ nivis ultima linea fugit;
Jam spineta novâ turgida fronde virent:
Ordine dispositis arrident floribus horti,
{ Nascentes violas fraxinus ima fovet. }
{ Fraxineas stirpes jam violeta fovent. }
Jam procul audito silvæ clamore resultant:
Jam præter solitum rura remota nitent:
Et dum cæruleis spatiis mersatur alauda
Æthere demissum dat melos, ipsa latet.
Jam vaga lux saltus et florea prata pererrat:
Puriùs albentes valle vagantur oves:
Candidiora micant fluviis labentia curvis
Carbasa, longinquo candidiora mari.

EXERCISE II. III.

Exanimem socii reduces heroa reportant:
Nec labat, amissum nec gemit illa virum.
Ordine circumstant famulæ dicuntque tuentes,—
"Una salus flendo, si modo flebit, inest."
Lene susurrantes laudabant acta perempti
Principis; "hic," aiunt, "dignus amore fuit:

"Optimus hic socius fuit, hic mitissimus hostis."—
  Membra tamen motu, murmure lingua caret.

Una puellari surgens ex agmine gressu
  Furtivo leviter quò jacet ille venit:
Detrahit a vultu vestem—(nam veste latebat)—
  Illa tamen siccis sedit ut ante genis.
Surgit anus novies denos quæ viderat annos:
  Imponit puerum, pignus herile, genu.
Solvitur in lacrimas æstivæ more procellæ:
  "Te vivo," dixit, "lux mea, vita placet."[1]

EXERCISE IV.

Sedit inaccessis Libertas montibus olim,
  Fulgura dum nudo sub pede rupta tonant.
Contremuere super "radiantia sidera mundi."
  { Audiit immistæ quà sociantur aquæ. }
  { Flumina collisis insonuere vadis. }
Illa sedet; tutoque procul lætata recessu
  Secum fatidicâ voce futura canit:
Rara sed ingentis venerunt fragmina vocis,
  Fragmina volvendis[2] credita flaminibus.
Mox speculam linquens rupis, per rura per urbes
  Prodit, et humanum visit amica genus:
Denique, paulatim posito velamine, pandit
  Quàm nitidum in toto fulgeat ore decus.

EXERCISE V.

Flet quoties sero descendunt vespere rores,
  Flet rores nondum decutiente die:

[1] Cf. Catull., 68, 160: "Lux mea, quâ vivâ vivere dulce mihi est."
[2] Cf. Virg. *Æn.* ix. 7: "Volvenda dies en attulit ultrò."

Nam neque mane novo, neque serâ vesperis horâ
    Dulcia sustinuit cernere regna poli.
Nox medium complebat iter; simul excita somno
    Nocturnas audit fundere carmen aves:
Nondum aderat Phœbus, galli vox personat umbras:
    Sublustris pecudum murmura reddit ager.
Deserta in somnis visa est sine fine vagari,
    Nec sperat gratas posse venire vices!
Frigida mox glaucam ducebant flamina lucem,
    Cingit ubi solam fossa inamœna domum.

EXERCISE VI.

Volvitur hìc altum pelagus, quà creverat arbor:
    Quas tibi, Terra, datum est quotque subîsse vices!
Illìc quà medium marmor requieverat, audi
    Murmura per longas continuata vias.
Nunc has nunc illas mons ipse, simillimus umbræ,
    Cogitur in formas ire, manere nequit:
Firmaque sit tellus, nebulæ dissolvitur instar,
    Nubibus et vacuis adsimilata perit.
[More levis nebulæ solidus dissolvitur orbis;
    Mille figurarum datque adimitque vices.]
Me propriæ (quò fas concedere)—somnia mentis
    Mulcebunt, quamvis somnia vera tamen.
Ore "vale," quamvis spirare videbor amarum,
    Abnegat assensum cor refugitque loqui.

EXERCISE VII.

Per tenebras en qui rubris spatiatur arenis;
    Nec comitem secum qui spatietur habet.
Luce sub obscurâ cursus agit ille perennes,
    Major ubi et terris proxima Luna nitet.

En indignatos adamantina litora fluctus:
    Audin' ut assurgat spuma retroque cadat?
Audin' ut antra tonent scopulis frangentibus undas,
    Quà rupes validis stat ferienda Notis.

EXERCISE VIII. IX.

Cara quidem mihi cara domus, sed cernere tristes
    Nolebam aspectus oraque versa patris:
Non matri conferre oculos, audire loquentis
    Infractam vocem verbave mœsta tuli.
Multa mihi patrium jam cura revisere limen;
    Cui fuerant cordi limina nullus erat.
Non quæcunque domi quondam placuere, placebant.
    Nempe meum fratrem tristis habebat humus.

Ventum erat ad portam: non jam velut ante videntur
    Obvia luminibus lumina læta meis.
Accedo, videoque gravi loca vasta dolore:
    Materno pallens mœror in ore sedet.
Oscula dat; gemitus intermiscentur amari:
    Vix bene lacrimulam continet ipse pater.
Accurrunt parvi fratres, fratremque salutant:
    Mirantur luctus, læta caterva, meos.
Tempora longa mihi jam præteriere, sed eheu!
    Quando mente cadet funebris illa dies?

EXERCISE X. XI.

Nil saxum, nil æra valent, nil terra nec undæ:
    Omnia sub tristi calce ruina premit.
Quî rabiem tantam sistet peritura venustas,
    Quam floris similem fertque rapitque dies?

Quî poterit sæclis pugnare ferocibus Æstas
    Mellifera, aut patiens obsidionis erit?
Tempore enim teritur,—sit inexpugnabile,—saxum:
    Tempore, sit ferro janua clausa, ruit.

Ah latebræ quales poterunt eludere Tempus,
    Quin sua quod proprium est contegat arca decus?
Quis poterit celerem dextrâ retinere volatum?
    Quisve malè ereptas ponere coget opes?
Nullus adest. Hoc fortè valet quòd fama puellæ
    Insignis nostræ carmine semper erit.

EXERCISE XII.

Temporis ut dextrâ vidi monimenta virorum
    Diruta, qui longo jam periere die:
Quum prius excelsæ sternuntur pulvere turres,
    Æraque mortali victa furore jacent:
Litore quum victo latè maris unda triumphat,
    Atque avido cursu per nova regna ruit:
Litus ubi æquoreas rursus superaverit undas,
    Et parili crescit deteriturque vice:
Quum sors sceptra levis nunc huic nunc tradidit illi,
    Ipsa que paullatim sceptra caduca ruunt:
Hæ rerum docuere vices sic volvere mecum,
    Heu veniet tempus: noster abibit amor.
Sic ego vivendo morior, quem morte sub ipsâ
    Perdere quod metuo non caruisse piget.

EXERCISE XIII.

Roribus ut placidis sensim languentis ocellos
    Incipiet nostros alma rigare quies;
Tum subeat mentem post omnia, Quanta voluptas
    In Christi semper procubuisse sinu!

Tu mihi luce ortâ dum sol decedat Olympo,—
  Nam sine te nequeo vivere,—semper ades:
Tu mihi, quum subeunt tenebrosæ tempora noctis,
  Semper ades: nequeo te sine nempe mori.

EXERCISE XIV. XV.

Chlori, vides nemori quos induat annus honores,
  Quo decoret ripas germine caltha suas!
Excutiunt somnum fragrantes floribus auræ,
  Et tibi dant flavas explicuisse comas.
Vitat inauratum sublimis alauda lacunar,
  Et super agricolæ sordida tecta canit:
Scilicet et duris ridet Natura colonis,
  Nec magis *Augusto* quam tibi, *Thyrsi*, favet.

Sollicitet docto citharœdus pollice chordas,
  Atria quà multâ lampade lauta micant;
Haud aliter tenui modulari carmen avenâ
  Betullæ subter tegmine pastor amat.
Compositos discat pubes dare regia motus,
  Spernat et agrestes, gaudia nostra, choros;
An tamen hos tecto sub divite tanta voluptas
  Quàm nos sub spino lacticolore movet?

EXERCISE XVI. XVII.

Jusserunt Parcæ: citiùs fatalis arundo
  Transfixit pueri pectora cara mei.
Occidit; atque unà perierunt gaudia nobis;
  Nec causa in vitâ cur morer ulla mihi est.
Haud secus ac sævâ quercus detonsa bipenni
  Sternitur, et turpi pulvere prona jacet;

Sic cecidit rerum decus et tutela mearum,
  Qui mihi debuerat tutor adesse seni.[1]

Direptos lacrimata lares acalanthis in umbrâ
  Progeniem queritur mater abesse suam:
Sic puero queror orba meo: me sole querentem
  Aspicit exorto, me fugiente, dies.
Illa ego quæ toties fugi tua vulnera: pectus
  En tibi nunc ultrò do, Libitina, meum.
Percute me miseram; grato percusseris ictu:
  Me modo cum puero junxerit una quies!

EXERCISE XVIII. XIX.

Tempus ut æstivum tandem remeârit, hirundo
  Oceani rapidum trans freta carpet iter;
Quæque modo excepit suspiria nostra gementis,
  Per nemoris ramos mox strepet aura tui.
Cui cursus eadem properaverat aura secundos,
  In portu condent litora nota ratem.
{ At mihi in æternum tu, terra Britanna, negaris, }
{ At mihi in æternum secernitur Anglica tellus, }
  Non oculis iterum conspicienda meis!

Sæpius ut nubem cerno candere supinam,
  Quæ maris extremas vix bene tangit aquas;
Candentes iterum videor mihi cernere rupes,
  Atque iterum in somnis te rediisse reor.
Cedit at expansis nubes in cærula pennis;
  Cedentem nequeunt lumina nostra sequi.
Non nisi in æthereis tandem regionibus, eheu,
  Ulla dies reddet te mihi, noster amor!

[1] Used *fem.* Tibull. i. 6. 82.

EXERCISE XX.

Nympha Cupidineâ perfunditur ora juventâ;
Gratia inest formæ luminibusque nitor.
Quot juvenes fallit petulans, quot vota colentûm
Fastidit, miseri læta dolore proci.
Deformis tandem discedere luget amantes,
Et spretâ languens virginitate perit.

EXERCISE XXI.

Papilio, superas vix jam bene natus in oras,
Aurorâ nitidum restituente diem,
Flore super roseo sedet, et caput erigit altum,
Et tumidum fervet pectus amore sui.
Huic ferrugineas aurum maculaverat alas,
Multaque cæruleo virga colore notat.
Dum pandit veneres, reddit crystallinus imber
Fulgentes oculos versicolorque decus.

EXERCISE XXII.

Nata sub Hesperio frons fragrantissima cœlo,
Spira Prometheâ dum tua luce micat,
Terrenæ impatiens sordis, per murmura cursu
Thurifero fugiens spiritus astra petit.
Sic tibi sit, *Corydon,* Veneris dulcedine semper
Fervere, dum vivis, suaviter inde mori;
Ore pio socii tua dum suspiria captant,
Teque avidis superûm dant sine labe choris.

EXERCISE XXIII.

Flore color cessit, qui ceu tua dulcia quondam
Lumina ridebat dulcis et ipse mihi:

Qui te, te solam, nuper spirare solebat,
(Sic jubet atra dies,) flore recessit odor.
Jam succo vitâque carens, sine mente figura,
In vacuo nobis flos jacet ille sinu :
Inde premit pectus, quod adhuc calet igne fideli,
Illius exemplo frigida et alta quies.
Illacrimo ; lacrimis nescit revirescere nostris :
Suspiro : spirat non velut ante mihi.
Nil loquitur moriens, nec questibus utitur ullis :
Cur loquor, aut moriens questibus utor ego ?

EXERCISE XXIV.—XXVI.

Quæ regio, quæ te, puer O carissime, sedes,
Non pariter certâ morte dolende, tenet ?
Adsis O quacunque manes, seu læta secundo
Fata favent risu, seu graviora premunt.
Si tamen urna tuos cineres nunc ultima condit,
Cur mihi non vocem nuntia Fama tulit ?
Sic placidam possim te salvo degere vitam ;
Nec violet nomen culpa[1] dolorve tuum.

Forsitan in duro resonent tibi carcere planctus,
Fœdate a sævis aut lacerate viris.
Forsitan excipiat loca per deserta vagantem
Te socium rabidis atra caverna feris.
Forsitan et tacito jam dividat usque sopore
Oceani gurges te comitesque tuos.

Umbras exspecto, si qua est via Manibus : umbra
Exspectata tamen non venit ulla mihi.
Falsa equidem, credo, prisci cecinere poëtæ,
Ad vivos Manes posse referre gradus ;
Aut ego conspicerem, quam nocte dieque fatigat
Et desiderium nec periturus amor.

[1] Cf. Ovid, *Her.* vii. 52 ; Virg. *Æn.* iv. 502.

EXERCISE XXVII. XXVIII.

Quum matutinum glaucâ petit æthera pennâ
  Lætaque jucundam poscit alauda diem,
Solque recens ortus[1] nebulas decussit ocellis,
  Et juga lætitiâ pronaque rura fovet,—
Me juvat ad silvam, Nympharum tecta, vagari,
  Quà destillato lilia rore nitent;
Dum Terra æstivis nitidissima dotibus, Eo
  Ridenti risus explicat ipsa suos.

Purpureis arbusta comis scenâque virenti,
  Ut varium vobis miror adesse decus!
Siqua dies menti solito felicior orta est,
  Vos pars lætitiæ non aliena meæ.
Salve, silva, tuo primùm sub tegmine sacro
  Ausa alas puero tendere Musa mihi est:
Primùm hìc delicias Natura recludit amoris,
  Et veneres docuit non tacuisse suas.

EXERCISE XXIX. XXX.

{ Tegmine nuper erat tellus vestita, nivali, }
{ Omnia nuper erant cultu vestita nivali, }
  Per tenebras visi tardiùs ire dies.
Carminibus reditum nunc Veris alauda salutat;
  Gaudia nunc læti testificantur agri.
Eja age, noster amor, quin mecum deseris urbem?
  Quin petimus nostræ rustica tecta casæ;
Quà nutant silvæ, paudunt ubi germina flores,
  Vernaque non nullâ parte renidet humus.

Bellide distinctos iterum lustrabimus agros,
  Quà primùm tetigit cor tua forma meum.

[1] Cf. Virg. *G.* iii. 156: "Sole recens orto."

Frondosum repetemus iter viridesque recessus,
  Quà tua vox primùm rettulit istud "Amo."
Nec mora, mox totos nobis rosa pandet honores,
  Quotquot sollerti fingere mente licet:
Plus solito pretiosa venit mihi quæque voluptas,
  Sis modo lætitiæ pars, Galatea, meæ.

EXERCISE XXXI.

Haud pecus est quod non agnum desideret unum,
  Sub vigili quamvis pascua mutet hero:
Haud domus est, quæcunque fores custodia servet,
  Quin vacua ad rutilum sella sit una focum.
Lugetur moritura cohors et mortua passim,
  Assiduumque auras urget "Ave atque Vale."
Quolibet in vico spernit solatia mater,
  Plurima dum natis ingemit orba suis.
Tristia quantumvis, tamen hæc patiamur amici;
  Scilicet e durâ non generantur humo.
Lætitia in pullâ quondam venit obvia veste,
  Propitiumque ferunt nubila missa deum.

EXERCISE XXXII. XXXIII.

Ut matutino lustrat pede rura viator,
  Dulce sonat medio vox iterata polo;
Quum modo vanescens, udâ modo luce coruscans,
  Insuper æthereas tentat alauda plagas.
Ah quoties gratæ recreatur flatibus auræ,
  Quæ ludit circum prætereuntis iter:
Quum languent vires, nimioque labore gravatus
  Increpat æstivæ tædia longa viæ.

Aut ubi sol medio sine nubibus axe refulsit,
  Membraque lassato vix trahit ille pede,

Siqua sonant juxta labentis murmura lymphæ,
Intima senserunt pectora dulce melos.
Atque ubi languescit morituro lumine vesper,
Sopitosque agros occupat alma quies;
Tinnitus dulci modulamine perstrepit aures,
Quà pecus argutos dat procul ære sonos:
At veniente licet, seu decedente diei
Lumine, delectent multa canore viam,
Una[1] tamen reducem dulcissima murmura mulcent,
Conjugis ut voces audit amantis amans.

EXERCISE XXXIV.—XXXVI.

Illo me Lalage pulcerrima fovit amore
Pectora quem nôrunt intima, lingua silet:
Sum tamen æris egens: nymphæ pater æris egentem
Sprevit, et "a nostro limine," dixit, "abi."
Improba Paupertas, quid agis, teterrima rerum?
Ut tibi subjectus sic famuletur Amor?
Mater erat nostræ: matrem prece multa rogabam;
Deque fide cœpi, de pietate loqui:
Obserat hæc surdas aures, soceræque potenti
Displicuit tenui conditione gener.

Virginis et caræ frater mihi triste querenti,
"Heu miseret," ficto murmurat ore, "tui!"
Sed nullo miserum solamine juvit amantem,
Sciret amans quamvis ipse quid esset amor.
Nummis fit sapiens inscitia, fraus pia; canum,
Dummodo sint nummi, flavet, ut ante, caput.
Hinc etiam oculos lacrimis suffusa paventes
Cedit amatori pulcra puella seni.

[1] Cf. Virg. *Æn.* ii. 426: "justissimus unus Qui fuit."

Nil desperandum: catus est vincique recusat,
  Vinclaque, ni sua sint, omnia frangit Amor.
Cæca senecta fuit; non durâ mente sacerdos:
  Nil poteras in nos, improba Pauperies:
In nos nil poteras, quos regum sorte potitos
  Unus habet, frustra te renuente, torus.

(S. A.)

EXERCISE XXXVII. XXXVIII.

Huc age, Graiorum dignissime ductor, Ulixe,
  Imperii consors litora nostra tene.
En tibi sollicitum turget mare, sæviit Eurus;
  Hìc fas securos est agitare dies;
Hìc licet e terrâ nautarum cernere nisus.
  Queis ratis in mediis fracta laborat aquis:
Interea fallent spatiosam gaudia lucem,
  Mulcebit placidus corpora nocte sopor.

Nympha, decus nostrum, lento si fama pateret,
  Si foret ignavo corripiendus honos;
Haud equidem tecum placidè requiescere nollem
  Atque opus insani destituisse maris.
At mihi per medios quærenda est fama labores;
  Non nisi per casus ducit honoris iter.
{ Me pudeat vitam molli fovisse veterno, }
{ Quid luxum memoras? quid inertis tempora vitæ? }
  Desidia egregios non decet ista viros.

EXERCISE XXXIX.

Horrida pallentem contristant frigora lucem,
  Flabraque cum pluviis irrequieta suis.
Vitis amans hæret muro, sed cuilibet auræ
  Dat folia: et mœstus flet sine sole dies.

Et mihi pallentem contristant frigora vitam,
 Flabraque cum pluviis irrequieta suis.
Præterito meus hæret amor, sed quæque juventæ
 Spes perit: et mœsti flent sine sole dies.
Disce tacere tamen, cor flebile, mitte querellas;
 Invida sol ultrà nubila lucet adhuc.
Sors tua communis mundi: sua cuique procella;
 Cuique sui quondam flent sine sole dies.

EXERCISE XL.

Lydia, pone chelyn: nil ars valet ista canendi,
 Ni mens sollicitum mota resolvat onus:
Mens, animata chelys, Zephyrique et solis alumna,
 Non nisi divino pollice tacta canit:
Quippe ubi flens cœlo Pietas delabitur, et Spes,
 Et Pavor, et comitem se magus addit Amor;
Hi vice quisque suâ penitus præcordia tentant,
 Nec, nisi cum fugiunt, mens resoluta canit.

EXERCISE XLI.

Occidit heu Princeps, caput insuperabile bello;
{ Vulneribus patulis turpia membra jacent. }
{ Membraque vulneribus dilaniata patent. }
Talem fata necem spernunt: mox ipse cruentum,
 Victima nobilior, rex premet ore solum.
Illum mœsta diu plorabit Hibernia raptum:
 Par illi nemo conspiciendus erit.
Mœsta diu misto referet pia carmina fletu,
 Carmina non ullo deperitura die.
Undique feralem campum super ingruit horror,
 Ipsa latet cædis condita nube dies.
Texite, germanæ, fatalem texite telam.
 Sistite, germanæ, sistite; cessat opus.

EXERCISE XLII.

Siste, precor, curvi venerabilis incola saltûs ;
Dirige nunc nostros per loca sola pedes :
Dirige, quò vallem tristesque illuminat umbras
Quæ procul exiguum lux dat amica jubar.
Hìc nullo comitante vagor malè devius hospes :
Vix itur tardè languidiore gradu :
Tractibus immensis increscere tesqua videntur,
Nec meta errori, nec modus ullus adest.
Tum senior, "Noli, juvenis temerarius, ire :
Ne pete nocturnæ mille perîcla viæ :
Ista volat fallax, quam spectas, lucis imago ;
Nec nisi fatali prolicit illa dolo."

EXERCISE XLIII.

Pande tuum, rosa pulcra, decus, suavissima rerum :
Pande mihi frondes quidquid honoris habent.
Mollia jam toto suspirant flamina cœlo ;
Fugit tempestas horrida, fugit hiems.
Fundit alauda modos sublimis in æthere dulces,
Gaudet et apricos ver reparâsse dies.
Ros micat argento, vernusque ut decidit imber
Hic illic florum copia nata viret.
Ridet amœnus ager viridi vestitus amictu,
Germine nascenti frondea silva tumet.
Quid, rosa pulcra, moras, rerum suavissima, ducis ?
Pande mihi veneres, pande vocata tuas.

EXERCISE XLIV. XLV.

Adsis O terræ pariter cœlique Creator,
Quem patrem agnoscunt lux tenebræque suum :

Cuique die labor est; sub nocte quiescimus îdem;
  Te solum auctorem noxque diesque vocant.
Cœlicolûm nostros defendant agmina somnos,
  Auspice Te nobis sit comes alma quies.
Spes sine fraude adsint, adsint pia somnia nobis,
  Dum spatiosa hujus tempora noctis eunt.

Seu somnum excutimus, sive incubat hora quietis,
  Tu pariter curâ præsidioque fove:
Et Tua (namque potes), nos tandem morte peremptos
  Tutela incolumes non violanda tegat:
Quumque erit ut Tua vox summâ nos excitet horâ,
  Tollere parce operam, parce, verende, Tuam:
Inter at æthereas Tecum nos adsere sedes,
  Imperii socios participesque Tui.

EXERCISE XLVI.

{ Te spargent mistæque rosæ calthæque vagantem, }
{ Quà tu tendis iter calthæque rosæque jacebunt, }
  Obtentu salicis nostra tegenda via est.
Exsequere hoc unum, qui mortis causa fuisti,
  Membra mihi jusso mortua pone loco;
Pone mihi, sacro quà lampades igne refulgent,
  Et gemitus edunt, spreta caterva, proci:
Mœsta sacerdotum quà nænia personat ædem,
  Campanæque crepant exsequiale melos.
Nam mihi flos periit, periit rosa prima juventæ:
  { Natali periit marcida facta suo. }
  { Heu sensit summam vix bene nata diem. }
Quisquis amas, nostrum funus celebrate: valeto
  Quidquid erat pulcri, quidquid amoris erat.
At ne quærentes tumuli vestigia nostri
  Fallantur nymphæ, si qua relicta dolet,

Discite, virginei cœtus, mea verba monentis,
{ Fronde salix nostrum prona cubile tegit. }
{ Compositos cineres umbra saligna tegit. }

EXERCISE XLVII. XLVIII.

Est ubi fallaci rivus petit æquora cursu :
Tritonas multos lympha profunda tegit.
Huc, ubi dira fremens lapides interluit æstus,
Venturæ sortis nescius ibat eques.
Ridet amœna dies : ruit urinator in undas,
Candet ubi liquidis concha corusca vadis ;
Innumeri passim dant saltus corpore pisces :
Squama repercussâ plurima luce nitet.
Dum lavitur, dulces cœperunt crescere cantus :
Ingeminant dulces saxa nemusque sonos.
Exierat jussum non evitabile fati :
Sirenis vultus intuiturus erat.

Nec mora : saxosas mox deserit illa latebras,
Et nanti propius semisupina natat.
Constitit in medio, nutuque adulata doloso,
" Tende tuam," cecinit, " tu mihi tende manum."
Aurea cæsaries nymphæ : flavere videres
Tortilibus circum candida colla comis :
Lumina cæruleum referunt radiantia cœlum :
Purpureoque rubent æmula labra mero.
Ora cupidineâ fulgent nitidissima formâ ;
Heu quas blanditias, quas dedit illa preces !
Protulit infelix, dictu miserabile, dextram :
Obrutus et mediis exululavit aquis.

EXERCISE XLIX.

An licet æstivæ similem te ferre diei?
At tu temperie candidiore nites.
Quos aluit Maius flores quatit impetus Euri,
Gloriaque æstatis decidit ante diem.
Est ubi fax cœli nimio fulgore calescit;
Aureus interdum languet in ore color:
Seu vice naturæ, seu casu, læsa venustas
Fit minor interdum, nec velut ante placet:
At tibi quod pulcri est nunquam mœrebis ademptum,
Vivet et æstatis gloria salva tuæ:
Nec te vana suis Libitina ascripserit umbris,
Cum tuus æterno carmine crescat honos:
Dum spirant homines, oculi dum cernere possunt,
Carmina morte carent ipsa, vetantque mori.

EXERCISE L.

Saxa vago juvenis lustrat pede torrida vitæ:
Diffindit silicem; vena reperta patet.
[Per juga palari juvenis solet arida vitæ,
Et venam fissâ rupe recludit aquæ.]
Nec mora, ductilibus decurrunt flumina lymphis,
Flumina non ullo rursus itura die.
Alveum certatim grandem maturior annis
Scindit, quo nitidis rivus oberret aquis:
Interea nescit sacras malè providus undas
Dilapsas subitâ præteriise fugâ.
Inde venit senior, titubansque accedit ad alveum,
Saxaque rimatur deficiente manu.
Voce caret rupes: sicco stat tramite rivus:
Membraque deponit languida facta senex.

EXERCISE LI.

Ante oculos oriens, quàm sæpe cacumina montis
Lumine regali sol novus alta fovet:
Aureus ut jungit viridantibus oscula pratis,
{ Pallidulisque aurùm, ceu magus, afflat aquis. }
{ Utque magus tenues dius inaurat aquas. }
Inde super vultus fœdissima nubila currunt,
Probraque sol patitur non patienda deo.
Mox adimit faciem, (nil non deplorat ademptam,)
Et petit Occiduas clam sine honore plagas.
Haud aliter nobis quondam sol mane nitebat,
Et rutilo frontem tinxit honore meam.
Me miserum, rapuit spatium vix amplius horæ;
Nunc nitidum condunt nubila densa caput.
At nunquam volui carum contemnere: soles
Terrigenûm nigrent, cum nigrat ipse deus.

EXERCISE LII.

Lux ubi languescit seri sub vesperis horâ,
Vastosque illustrat mox moritura lacus:
Nullaque non gratos pinus diffundit odores,
Flabraque per palmas improba triste gemunt:
Atque ubi lampyris rutilans sine lege vagatur,
Et per cupressos astra micare solent:
Tunc citharæ subeunt, subeunt per somnia montes,
{ Pectore nec caditis, Cambria tesca, meo. }
{ Aspera nec nostrâ Cambria mente cadis. }

EXERCISE LIII. LIV.

Ver erat: in vernos dederant se cuncta lepores;
Carpebam somnos exoriente die:

Somnia cùm cerno gratum poscentia carmen;
    Grata soporato somnia visa mihi.
Scilicet Oceani volvebar nauta per æquor,
    Hinc procul ad Zephyri vela cubile dabam:
Interea lintrem tollebat fluctus in altum,
    Nec[1] gelidum spirans desiit aura sequi.
Fœmina, vidi equidem, cursus in puppe regebat:
    (Fœmineis certè vultibus illa fuit):
Nosque simul miræ subiit reverentia formæ,
    Quam mulier menti non prius ulla tulit.

Illa sedebat enim, vicinaque parma sedenti
    Illuxit tumidis, sol velut alter, aquis:
Haudque[2] hominem ridens, risu permixta profudit,
    "Liber uti fiat, qui modò servus, eo."—
Inde illas carmen voces in suave tetendit:
    Nil ego nil unquam suavius aure bibi:
Vincula nam servis cecinit discussa refringi,
    Quò sua majestas cunque tulisset iter.
Nubila nescio quæ pendebant ante supernè;
    Nunc eadem claris terga dedere modis:
Et libertatem dum concinit illa, putavi,
    Nil nisi concentum percipe, liber eris.

EXERCISE LV. LVI.

Est ubi mercator, tutas servare laborans,
    Nomine sub ficto trans mare mittit opes:
Nomine sic modulos commendat Delia nostros:
    Tu mihi sola ardor flammaque vera, Chlöe.
Forte torum decorant mea mollia carmina, ponit
    Delia dum nitidas in statione comas:

[1] Cf. Virg. *Æn.* vii. 510; Hor. *C.* iii. 27. 67.
[2] Cf. Virg. *Æn.* i. 320: "Vox hominem sonat."

Et cithara in lecto cum carmine cara jacebat:
  Ecce rogat nectam verba modosque Chlöe.

Nec mora: proludo citharâ, cantare paratus
  Carmina, sed querulis carmina mista modis.
Dumque tuas laudes illustro, Delia, cantu,
  Mens mihi tota tuo pendet ab ore, Chlöe.
Pulcra Chlöe rubuit, contraxit Delia frontem;
  Ipse queror stupeo, dum lyra pulsa tremit:
Tum Venus irridens, (audit Cythereïa proles),
  "Quàm malè dissimulant unus et alter," ait.

EXERCISE LVII.

Novi ego quas habitent volitantia somnia sedes,
  Qualia per thalamum ludere nocte solent.
Quas ego non herbas novi, quæ pendula florum
  Germina, quà latitat condita penna die?
Eja age, quin nostram properamus, nympha, corollam?
  Somnia cras fugient, floris abibit honos.
Est ubi sub noctem descendit Amoris imago,
  Quum repetit lectum, nympha pudica, tuum:
Unde volat furtim, flos suspirare sub umbrâ,
  Jasminum, ipsius virginis instar, amat.
Si qua magis lætos miseri spes fronte residens
  Exspectare docet posse venire dies,
Prodit amygdalei linquens penetralia floris,
  Candida quà nudo palmite gemma viret.

EXERCISE LVIII.

Jam radii solis distinguunt cærula cœli,
  Et montis claro lumine summa notant.
Cum canibus venator adest cornuque sonanti;
  Perque nives jactas concita dama fugit.

Per rupes altas, juga per prærupta, capellæ
  Intendunt curvam, tarda caterva, viam.
Has lupus insidians prædam excipit ore rapaci,
  Quà nutant silvæ, quà cava saxa vacant.
Dumque simul fluvii vox intonat aucta tumentis,
  Murmura dum clivis ingeminata sonant;
Vix matutinam superant magalia nubem,
  Aërias aquilæ visa referre domos.

EXERCISE LIX.

Quàm potuit vitiare dolor, quàm lædere culpa
  Alma prius dextrum fert Libitina pedem:
Nascentem gemmam cælestibus inserit hortis,
  Atque ibi perpetuo flore virere jubet.

EXERCISE LX.

Ut veterum uxores tibi fido hæc fida manebit;
  Et "Tua sum" spondens nunc, tua semper erit.

EXERCISE LXI.

Vir premitur vitiis centenis, non nisi binis
  Fœmina: nil loquitur, nil facit illa boni.

EXERCISE LXII.

Parvulus in gremio matris, modo natus inopsque,
  Tu lacrimas, at sunt omnia læta tuis.
Sic vivas, puer, ut placidâ cum morte recumbis,
  Omnia læta tibi sint, lacrimæque tuis.

FINIS.

EDINBURGH: PRINTED BY T. AND A. CONSTABLE, AT THE UNIVERSITY PRESS.